UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

LIII. Ad Marcellam. Vt tam parvam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

Visual Library

III. Hieronymus Marcellæ, cui rationem reddit ſilentij, ſalutatis etiam amicis.

Ut tam parvam epiſtolam ſcriberem, cauſæ duplicis fuit: quòd & tabellarius feſtinabat, & ego alio opere detentus, hoc quaſi παρέργῳ me occupare volui. Quæris, quidnam illud ſit tam grande, tam neceſſarium, quo epiſtolicæ confabulationis munus excluſum ſit? Jampridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forſitan propter odium Chriſti, ſynagoga mutaverit: & ut amicæ menti fatear, quæ ad noſtram fidem pertineant roborandam, plura reperio. Nunc à Prophetis, Salomone, Pſalterio, Legumque libris examuſſim recenſitis, Exodum teneo, quem illi Veelle ſemoth vocant, ad Leviticum tranſiturus. Vides igitur, quòd nullum officium huic operi præponendum eſt. Attamen ne Currentius noſter fortè fruſtrà cucurrerit, duas epiſtolas, quas ad ſororem * ſuam Paulam, ejuſque pignus Euſtochium miſeram, huic ſermunculo annexui: ut dum illas legeris, & in illis aliquid doctrinæ pariter ac lepôris inveneris, putes tibi quoque ſcripta eſſe, quæ illis ſcripta ſunt. Albinam communem matrem valere cupio: de corpore loquor, ut ſpiritu valeat, non ignorans. Eamque per te ſalutari obſecro, & duplici pietatis officio refocillari, quòd in una atque eadem Chriſtiana ſimul diligatur & mater.

* tuam.